

2307

/ Illustrissime ac Reverendissime Domine

Audaciae merito arguar, quod homo vix de nomine notus Illustriss. G.T., scripto ad eam veniam. Certe benignitas quam nuperrime ad me datis exhibuerat, id elicuit; quam etiam concivis et contubernalis meus 5us Simon Van Dijck, litteris suis adfirmavit. Cui certe stimulus ad virtutem esse debet, quod et adspectu ejusdem ~~R~~T.G. et accessu in familiam, quanto amplius si alloquio, frui mereatur. Invideo fortunae, quae passa non fuit ut aliquando coram, me G.T. Illustriss. potuerim devovere; animo tamen praestiti semper, justissimas ob causas 10 ad id impulsus, magnoque me beneficio affectum existimabo, si qui inter cultores tuos non minimus sum, inter clientes omnium novissimus adscribar; idque vel maxime, si usus aliquis mei esse possit, et utinam possit! Nuper in funere Archiepiscopi Mechliniensis, ò vere Antistitem prisca et innoxii aevi! lessum dixi et lamenta, cumque is 15 saepissime G.T. Illustriss. apud me adfectum et aestimationem fuerit prosecutus, exemplar adfectus mei erga defunctum, quem et vivum semper fui veneratus, his adjunxi; quod vel ratione argumenti non fore ingratum confidebam. Honos mihi erit, si G.T. R/ma adspexerit. Desudo, dum per conciones licet et occupationes, in correctionem et dispositionem 20 magni illius Theatri vitae humanae, quod olim erroribus refertum prodiit, ut lucem adspiciat. Emisi nuper Biblia variarum translationum, et promptuaria in Evangelia Festorum. Stimulus mihi erit ad decurrendum hanc metam, aliqua etiam parte admitti apud G.T. Reverendiss/m. Res Belgicae in ancipiti versantur hoc deliquio Inducialium 25 pactorum. Quà tamen Sereniss. Alberto cui Deus vires augeat! Pareat, Religione et pietate crescit. A Germania bona exspectamus. Marchio Spinola ibidem rem facit, majorem factururus, si non ambitio exterorum et occultae fraudes gloriae illius succenserent. Quae de illo particularia habemus, indicavi per occasionem D. Simoni, qui has eidem 30 T.G. reddet; quem etiam uti probatae indolis juvenem, commendari et haberi opto, Deumque oro, Illustrissime ac R/me Dne, diuturnum te in

16 oct.'20. Beyerlinck à Bell.

4807

2307

/ Ecclesia: sua, et incolumem esse. Antverp. XVI octob. 1620.

Obsequio Illustriss. T.G. devotiss cliens

Laur. Beijerlinck

Adr: Illustrissimo ac Reverendissimo D^{no} D. Roberto Bellarmino, S.R.

5 E.Cardinali Tit.S.Mariae in Via Archiepiscopo Capuano etc.

(cachet)

Romam

~~(cachet)~~

Arch.Vatic.Mss.Gesuiti 18 fol.13. Orig. autogr.